rantes in se. Et in diluuio pretereūte cō-
summationē faciet loci eius: ⁊ inimicos
eius ꝑsequentur tenebre. Quid cogita-
tis contra dn̄m? Cōsummationē ip̄e fa-
ciet. Non cōsurget duplex tribulatio: q̄r
sicut spine se inuicem complectūtur: sic
conuiuiū eorū pariter potantiū. Consu-
mentur q̄si stipula ariditate plena. Ex te
enim exibit cogitans ꝯtra dn̄m maliciā
mente ꝑtractans ꝑuaricationē. Hec di-
cit dn̄s. Si ꝑfecti fuerint ⁊ ita plures: sic
quoq; attondent̄ ⁊ ꝑtransibit. Afflixi te
⁊ non affligam te vltra. Et nunc ꝯteram
virgam eius de dorso tuo: ⁊ vincula tua
dirumpam: ⁊ precipiet sup̄ te dn̄s. Non
seminabitur ex noīe tuo amplius. De do-
mo dei tui interficiam. Sculptile ⁊ con-
flatile ponam sepulcrū tuū: q̄r inhonora
tus es. Ecce sup̄ montes pedes euange-
lizantis ⁊ annunciantis pacem. Celebra
iuda festiuitates tuas ⁊ redde vota tua:
q̄r non adijciet vltra vt ꝑtranseat in te
belial: vniuersus interijt. II

Ascendit qui dispergat coram te
qui custodiat obsidionem. Cō-
templare viam: conforta lum-
bos: robora virtutē valde. Quia sic red-
didit dn̄s sup̄biam iacob: sic sup̄biā isra
el. Quia vastatores dissipauerūt eos: et
ꝓpagines eorū corruperunt. Clypeus for-
tium eius ignitus: viri exercitus in cocci
neis. Ignee habene currus in die prepa
tionis eius: ⁊ agitatores consopiti sunt
In itineribus cōturbati sunt: quadrige
collise sunt in plateis. Aspectus eorū q̄si
lampades: q̄si fulgura discurrentia. Re-
cordabitur fortiū suorū: ruent in itineri-
bus suis. Velociter ascendent muros eius
⁊ preparabitur vmbraculū. Porte fluui
orum aperte sunt: ⁊ templū ad solum di
rutum. Et miles captiuus adductus est
⁊ ancille eius minabantur gementes vt
columbe: murmurantes in cordibus suis
Et niniue q̄si piscina aquarū aque eius:
ipsi vero fugerunt. State state ⁊ non est
qui reuertatur. Diripite argentum: di-
ripite aurū: ⁊ non est finis diuitiarum ex
omnibus vasis desiderabilibus. Dissipa-
ta est ⁊ scissa ⁊ dilacerata: ⁊ cor tabescens
⁊ dissolutio geniculorū ⁊ defectio in cū-
ctis renibus: ⁊ facies omniū sicut nigre
do olle. Ubi est habitaculū leonū: ⁊ pa-
scua catulorū leonum? Ad quam iuit leo
vt ingrederetur illuc: catulus leonis: et
nō est qui exterreat. Leo cepit sufficiēter
catulis suis: ⁊ necauit leenis suis. Et impleuit
preda speluncas suas: ⁊ cubile suū rapina
Ecce ego ad te dic̄ dn̄s exercituū: ⁊ succē
dam vsq; ad fumū q̄drigas tuas: ⁊ leūcu
los tuos comedet gladius. Et exterminabo
de terra predam tuā: ⁊ non audietur vl-
tra vox nunciorū tuorū. III

Ve ciuitas sanguinū: vniuersa
mendacij: dilaceratione plena
Non recedet a te rapina. Vox
flagelli ⁊ vox impetus rote: ⁊ equi fremē
tis ⁊ quadrige feruentis ⁊ equitis ascen
dentis: ⁊ micantis gladij: ⁊ fulgurantis
haste: ⁊ multitudinis interfecte: ⁊ grauis
ruine: nec est finis cadauerū. Et corruēt
in corporibus suis ꝓpter multitudinē for-
nicationum meretricis speciose ⁊ grate ⁊
habentis maleficia: que vendidit gentes
in fornicationibus suis: ⁊ familias in ma-
leficijs suis. Ecce ego ad te dicit dominus
exercituum: ⁊ reuelabo pudenda tua ī fa
cie tua: ⁊ ostendam in gentibus nuditatē
tuam ⁊ regnis ignominiā tuā. Et ꝓijci-
am sup̄ te abominationes: ⁊ cōtumelijs
te afficiam: ⁊ ponam te in exemplū. Et
erit: omnis qui viderit te resiliet a te ⁊ di
cet. Vastata est niniue. Quis cōmoue-
bit sup̄ te caput? Unde queram consola
torem tibi? Nūquid melior es alexādria
populorum: que habitat in fluminibus?
Aque in circuitu eius: cuius diuitie ma
re: aque muri eius. Ethiopia fortitudo
eius ⁊ egyptus ⁊ nō est finis. Africa ⁊ ly
byes fuerunt in auxilio tuo: sed ⁊ ipsa in
transmigratione ducta est in captiuitatē

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-105/1166
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG